
325

B


262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

KW 325 B 262. 8

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
AD
LEGEM FALCIDIAM,

QUAM,
Adſpirante Divino Numine
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris
D. CORNELII van ECK,
J. U. Doctoris, Ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Celeberrimi,

NEC NON

Amplisſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu, & Nobilisſimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in utroque jure Honoribus ac Privilegiis rite & legitime conſequendis,
Eruditorum Examini ſubmittit
ALLARDUS SCHELTINGA,
Harl. Friſius.
Ad diem 18. Maji. MDCXCIII.



Koninklijke Bibliotheek 's Hage.

FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYSELAAR, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCXCIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
AD
LEGEM FALCIDIAM.

THESIS I.

Verbis Duodecim Tabb. his, *uti quiſque legaſſet ſuæ rei, ita jus eſto*, liberrima conceſſa fuit legandi poteſtas. *l.* 120. *D. de V. S.* Ita ut vel totum patrimonium legatis erogare liceret. *pr. Inſt. h. t.* Imo ut nihil, niſi legata diſtribuendi onus, penes heredem remaneret: unde etiam ſæpiſſimè eveniebat, ut teſtator, heredibus ſcriptis ob nullum vel minimum lucrum hereditatem adire recuſantibus, inteſtati exitum faceret: Hoc igitur ut evitaretur incommodum lata eſt lex Furia a Cajo Furio tribuno pleb. quâ cavebatur, ne cuiquam ſupra mille aſſes legati nomine relinquere liceret, *teſte Ulpiano in fragm. tit.* 1. §. 1. & is, qui majorem ſummam ſibi relictam accepiſſet, τὸ τετραπλοῦν τοῦ ὑπὲρ πλεῖον ὄντος ἀπεδίδου,

quadruplum ejus, quo plus, quam licebat, acceperat, reddere jubebatur, *ut teſtis eſt Theophilus hic*. Sed quoniam hæc lex huic incommodo nondum ſatis proſpexerat: (Ille enim, qui quinque millia in bonis habebat, quinque perſonis millena legare poterat, atque ita totam hereditatem exhaurire legatis.) Secundo igitur lata eſt lex Voconia à Q. Voconio trib. pleb. qua cautum fuit, ne cuiquam plus, quam uni ex heredibus relinquere liceret, ſed ne ſic quidem huic incommodo pleniſſimè conſultum fuit: Nam ſi quis, cum centum ſolidos in bonis haberet, hæredem aliquem inſtituiſſet, & nonaginta novem legatariis ſingulos ſolidos reliquiſſet, neque legem transgrediebatur, & locum tamen faciebat repudiationi: Heres enim, videns ſibi nihil aut parum pro nomine moleſtiaque heredis remanere, hereditatem repudiabat, & ita iterum ſubvertebantur teſtamenta.

Theſ. II.

Tertio itaque & ultimo loco tempore Auguſti lata eſt lex Falcidia, quæ non à defalcando (ut Accurſius putabat) ſed à rogatore P. Falcidio Trib. pleb. ſic dicta fuit: Eſt igitur lex Falcidia Plebiſcitum, ſicut & lex Voconia, quæ idcirco etiam *plebiſcitum Voconium ab Aulo Gell.* appellatur *lib.* 20. *cap.* 1. Plebiſcita vero tranſlato nomine leges appellata fuerunt, ut auctor eſt idem *Gell. lib.* 10. *Noct. Att. cap.* 20. Habuit autem hæc lex falcidia duo capita: quorum primo liberam legandi facultatem dedit: Secundo modum legatorum conſtituit, ne cui ultra dodrantem, id eſt novem uncias totorum bonorum legare liceret, ſive unus ſit heres inſtitutus ſive plures, ſed ut quadrans, id eſt, quarta pars bonorum, apud heredem heredeſque remaneret. *pr. Inſt. h. t. l.* 1. *pr. D. eod.* Quod ſi teſtator huic ſanctioni non pareat, heres quartam, ſi poſſideat, retinere, vel ſi jam errore facti ſolverit, repetere poteſt. *l.* 1. §. 11. *D. h. t. l.* 9. *C. eod.*

Theſ.

Theſ. III.

Ratio ſeu finis hujus legis ſive plebiſciti eſt favor & utilitas teſtatorum, ob id, quod plerumque inteſtati moriebantur, recuſantibus ſcriptis heredibus pro nullo aut minimo lucro hereditates adire ait *Imp. Juſtinianus in pr. inſt. h. t.* & intereſt defunctorum, ut habeant ſucceſſores. *l. 6. ff. de Interr. in jur. faciend.* in teſtamento enim heres eligitur, quem teſtator maximè vult: ab inteſtato vero lex dat heredem, & fortaſſe eum ad quem bona ſua pervenire defunctus non vult. Huic non obſtat *l. 71. D. h. t.* ubi habetur, quod lex falcidia *heredis cauſâ lata ſit*. Ibi enim non negatur eam teſtatoris gratiâ latam fuiſſe, nam utriuſque cauſâ & teſtatoris & heredis lata eſſe poteſt: alterius quidem primario, alterius vero ſecundario & per conſequentias. *arg. l. pen. C. h. t.* Quod etiam heredis in gratiam lata fuerit hæc lex inde patet, quod heres hujus legis beneficio, ut cuilibet juri pro ſe introducto, renunciare poteſt. *l. pen. C. de Pact.* imo laudatur hoc nomine heres in *l. 5. §. 15. ff. de Donat. inter Vir. & Ux.* quod tanti fecerit voluntatem teſtatoris, ut ſuum commodum putaverit poſtponendum.

Theſ. IV.

Habet autem locum lex falcidia præcipue in legatis. *pr. hic.* & paſſim. Sed etiam ad alia quæ legatis ſimilia ſunt, producta eſt, videlicet ad fideicommiſſa ſingularia. *l. 2. & 3. C. h. t.* ad donationes mortis cauſa. *l. 5. C. h. t. l. 2. C. de Donat. mort. cauſa.* ad donationes inter virum & uxorem, quæ fideicommiſſi partibus funguntur. *l. 12. C. h. t.* Denique & hanc legem ad inteſtatorum ſucceſſiones propter fideicommiſſa produxit Divus Pius. *l. 18. D. h. t.* non tamen ad ea, quibus legatarii gravantur, hæc lex pertinet. *l. 47. §. 1. ϖ. h. t.* ſolis enim heredibus, & heredum heredibus hoc jus datur. *l. 19. C. h. t.* ratio hæc eſſe videtur, ſcil: heres ſi non adeat

hereditatem, omnis teſtamenti vis reſolvitur: hoc igitur ne eveniret, Falcidius heredi quartam ex legatis detrahere permiſit: hæc autem ratio in legatario locum non habet: teſtamentum enim, licet ille legatum repudiet, idcirco non fit irritum.

Theſ. V.

Tam unus heres, quam plures, quartam ex lege Falcidiâ detrahere poteſt, idque contra omnes, quibus aliquid relictum eſt, pro modo ſcilicet legatorum & fideicommiſſorum. *l.* 2. *C. h. t.* ſed ne hujus legis ſcopus, ut in Furiâ & Voconiâ evenire poterat, eluderetur, proviſum eſt, ſi plures fuerint heredes, uti ratio Falcidiæ non reſpectu omnium heredum ſimul, ſed in ſingulorum partibus ſpectaretur: Sicut, ſi quis uni ſemiſſem bonorum ſuorum legatis exhauſtum reliquerit, à coherede autem aut nulla legata, aut quæ partem ejus duntaxat in partem dimidiam minuant, relicta ſunt, tum à ſemiſſe onerato detractio ſecundum legem fieri debet. §. 1. *I. h. t. l.* 77. *D. eod.* Ἕνα γὰρ ἕκαστον κληρονόμον δεῖ τὸ τέταρτον ἔχειν τῆς οἰκείας ἐνστάσεως, ſingulos enim heredes, quartam partem ſuæ inſtitutionis habere oportet, ut inquit, *Theoph. in fin.* §. 1. *h. t.*

Theſ. VI.

Quod ſi unus coheredum ante hereditatis aditionem deficiat, portio ejus adcreſcit alteri coheredi, quod quidem ſatis expeditum eſt: ſed quod ad Falcidiam attinet adhibenda eſt diſtinctio: aut enim pars exhauſta, aut pars libera accrevit. Si quidem pars libera accreverit parti oneratæ, locum habere non poteſt lex Falcidia: non eſt enim quod is conqueratur, qui modo de quarta laborabat, ſed cui jam totus ſemis inexſpectatò ſupereſt: Ex diverſo, ſi pars exhauſta accreverit, locum poteſt habere lex Falcidia, licet ille, ad quem portio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

portio onerata per defectum coheredis devoluta eſt, totum ſuum ſemiſſem habeat liberum: tamen ex perſona ejus, qui defecit, quartam detrahere poteſt, quia, uti dictum, ratio legis Falcidiæ in ſingulis heredibus ponenda eſt. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 78. *D. eod.* ſed opponitur hujus diſtinctionis membro poſteriori *l.* 87. §. 4. *D. h. t.* ubi JCtus Julianus dicit, ſi ex ſubſtitutione portio onerata accreſcat liberæ, ſolida legata præſtari debere: Nam ait duos ſemiſſes confuſos efficere, ut circa legem falcidiam totius aſſis ratio habeatur, & ſolida legata præſtentur: Sed reſpondeo, hanc legem nihil obſtare: caſus enim, qui ibi à JCto proponitur, talis eſt, quo pater filium impuberem ex ſemiſſe heredem inſtituit, & dedit ei coheredem Titium, eundemque pupillariter ſubſtituit: jam talem facit diſtinctionem JCtus, num filius patri heres exſtiterit nec ne, & ſi quidem heres non exſtiterit filius patri, tum dicit duos ſemisſes confundi, & totam hereditatem ad Titium coheredem & ſubſtitutum devolvi, & conſequenter etiam ſolida præſtanda esſe legata: Non enim ex ſua perſona detrahere poteſt quartam, quoniam totum ſemisſem abſque ullo onere habet liberum, neque etiam ex perſona ejus, cujus portio onerata erat, quia legata hodie à ſubſtituto repetita cenſentur, & conſequenter iiſdem etiam gravatus intelligitur. *l.* 74. *ff. de Legat. I. l.* 61. §. 1. *d. Legat.* 2. Si verò pupillus heres exſtiterit patri ex ſemiſſe, non jam totius aſſis, ſed ſemiſſis, ex quo filius heres factus eſt, ratio haberi debet: non enim ampliora legata debet Titius ſubſtitutus, quam quibus pupillus obligatus fuerat: quia non ſuo nomine obligatur, ſed defuncti pupilli, qui nihil amplius, quam ſemiſſis dodrantem præſtare neceſſè habuit. *d. l.* 47. §. 4. *D. h. t.* Sed ſi pater heredem inſtituerit filium impuberem, eique etiam ſcripſerit heredem, & tam à ſuo, quam à filii herede multa reliquerit legata, quæ pariter ſumpta dodrantem hereditatis excedant, tunc omnia legata, tam quæ

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

in primis, quam quæ in ſecundis tabulis relicta ſunt, in unum contribuuntur, tanquam ſi & ea, quæ à filii herede reliquiſſet teſtator, à ſuo herede ſub alia conditione legaſſet. *l.* 11. §. 5. *l.* 79. *D. h. t.* etenim legem falcidiam ſemel eſſe admittendam, etiam ſi duplex ſit teſtamentum, convenit. *l.* 1. §. 1. *D. Si cui plus quam p. L. Falc.*

Theſ. VII.

Diximus antea teſtatorem non poſſe ultra dodrantem totorum bonorum legare, ſed ad minimum quartam partem hereditatis ſive bonorum apud heredem remanere oportere, quod ſi non fuerit factum, poſſe eum detrahere illam legatis ſupra dodrantem relictis: Sed quoniam ſcire non poſſumus utrum quarta ſit ſalva nec ne, niſi conſtet, quantum teſtator in bonis reliquerit: Hoc igitur ut rectè cognoſcatur, bonorum æſtimatio ineunda eſt, in qua & corpora, ſi quæ ſunt in bonis defuncti, ſecundum rei veritatem æſtimanda erunt, hoc eſt, ſecundum præſens, verum & commune pretium, nec quicquam eorum formali pretio æſtimandum eſſe ſciendum eſt. *l.* 62. *D. h. t. Formale pretium* unde dicatur non benè convenit inter interpretes: alii enim *à forma cenſuali* dictum volunt, in qua exactiſſima rerum inibatur æſtimatio: alii iterum *à forma ſpeciali, vel affectione adverſus eam*, nam pretia rerum non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur. *l.* 63. *pr. D. h. t.* id eſt, in Falcidia æſtimatio pretii rerum *ex veritate* facienda eſt. *l.* 42. *D. eod.* alii rurſus aliter opinantur. *Vide ſis Calvin. lexic.* in voce *Formale* & *Wiſsenbach. ad h. tit. pandect. th.* 11.

Theſ. VIII.

Sed quia hereditas recipit incrementum & decrementum intra tempus mortis & aditæ hereditatis, quæri poteſt, utrum quantitas patrimonii, quæ fuit tempore mortis, an ea, quæ fuit

fuit aditæ hereditatis tempore, in deductione Falcidiæ ſpectari debeat? & reſpondet *Juſtinianus in §. 2. Inſt. h. t. ex l. 73. D. eod.* non aditæ hereditatis, ſed mortis tempus ſpectandum eſſe, ita ut omne incrementum & decrementum lucro damnove heredis cedat: Ideoque ſi quis, centum aureos in bonis habens, centum aureos legavit, ita ut conſtet heredem tempore mortis teſtatoris quartam, id eſt, viginti quinque aureos ex lege falcidia potuiſſe retinere, ſed, dilatâ hereditatis aditione, bona interim per ſervos hereditarios, partus ancillarum aut fœtus pecudum fortè ita ſunt aucta, ut tempore aditionis, ſi tunc ineunda eſſet æſtimatio, ſatis ſuperque quarta apud heredem remanere poſſet, ſed quoniam mortis tempus ſpectandum eſt, acceſſio, quæ medio tempore facta eſt, lucro heredis cedit, & legatarii nihilominus tantam deductionem pati coguntur, quantam mortis tempore ſubire debuiſſent. Ex diverſo, teſtator, qui centum aureos in bonis habet, legavit ſeptuaginta quinque, ita ut quarta, mortuo teſtatore, fuerit ſalva, tunc heres, quoniam ex voluntate teſtatoris quartam habet, nihil eget retentione ex lege Falcidia: Poſteà verò ante aditam hereditatem vel coorto incendio domus hereditariæ conſumptæ ſunt, vel naufragio facto merces hereditariæ perierunt, vel aliis transverſariis caſibus ita imminuta eſt hereditas, ut quarta nullo modo ſalva reperiatur, heres nihilominus, ubi adierit, ſolida legata legatariis ſolvere cogitur, tempore enim mortis teſtatoris ex voluntate ejus quartam habebat, nec legis falcidiæ beneficio egebat. §. 2. *I. h. t. l. 15. §. 3. in fin. l. 30. pr. l. 56. pr. l. 73. pr. D. eod.* Hæc omnia ita ſe habent, niſi quid acceſſerit ratione facti præcedentis, aut obligationis à defuncto contractæ, id enim legatariorum non heredis commodo cedit. *l. 56.* §. 1. *l. 83. D. h. t.* augmenta ſcilicet & decrementa reliquarum rerum hereditariarum præter & ſupra res legatas intelligi debent, ipſæ enim res ſive corpora legata ſi imminuantur vel dete-

riora fiant ſine facto vel culpa heredis, hoc damnum ſive detrimentum legatarii ferre debent. §. 16. *Inſt. de Legat.* res enim perit ſuo domino *l.* 9. *C. de Pign. Act.* & legatarii ſtatim inde à morte teſtatoris domini exiſtimantur, quoniam ea, quæ legantur, rectâ viâ ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata ſunt, tranſeunt. *l.* 64. *π. de Furt.* in quantitate autem legata ſecus obtinere ſatis ex ipſa ratione manifeſtum eſt, illa enim, licet omnes res hereditariæ pereant, nunquam perire poteſt. *l.* 11. *C. Si cert. petat. l.* 30. §. 2. *& ſeqq. D. h. t.*

Theſ. IX.

Ad objectionem autem, quæ hic moveri poſſet, ſcilicet iniquum, & damnoſum eſſe heredi, ſi ſolida legata, cum minus quartâ aut nihil aditæ hereditatis tempore ſuperſit, ſolvere cogatur, reſpondet Imperator *in* §. 2. *Inſt. h. t.* his verbis: *nec ea res damnoſa eſt heredi, cui liberum eſt non adire:* ſi enim extraneus eſt heres repudiare hereditatem poteſt, vel ſi eſt ſuus & neceſſarius abſtinendi facultas ipſi datur. *l.* 57. *π. de Acquir. vel amitt. hered. l.* 9. *C. de Petit. hered.* Si igitur damnum aliquod ſentiat heres, hoc ſibi imputare debet, quod adierit, & ſic ſe oneribus hereditariis obnoxium fecerit, & conſequenter etiam ſe legatariis ad ſolvenda legata obligaverit. *l. ult.* §. 14. *C. de Jur. delib.* cum potuerit non adire. At Imperator ſimul etiam dat conſilium, quo ſi heres utatur, legatarios compellere poteſt ſecum in portione paciſci, ſcilicet ſi præ ſe ferat heres ſe malle repudiare hereditatem, quam pro nullo aut minimo lucro eam adire, teſtamentum enim ſi deſtituatur aut deſeratur, omnia in eo ſcripta, atque ita etiam legata in eo relicta ſimul evaneſcunt. §. 2. *Inſt. h. t. l.* 9. *π. de Teſtam. tut. l.* 181. *D. R. J. l.* 14. *C. de Fideicommiſſ.* Legatarii igitur, ſi legata ſua percipere velint, coguntur aliquid de legatis remittere, ut ſic heres, retentâ quartâ, quæ ipſi ex lege falcidia debetur, adeat hereditatem: reperiuntur tamen

caſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

caſus aliqui, quibus etiamſi ex teſtamento hereditas non adeatur, nihilominus tamen legata præſtari debent, & quidem primus eſt, quando hereditas non verbis directis relicta, ſed ita data eſt, ut à ſucceſſoribus ab inteſtato eſſet poſtulanda. *l.* 14. *C. de Fideicommiſſ.* II. ſi heres ſcriptus, qui ſimul eſt ſanguine proximus, omiſſa cauſa teſtamenti, ab inteſtato adeat, ac ita legatarios circumveniat atque eludat. *l.* 1. *& ſeqq. D. Si quis omiſſ. cauſ. teſt.* III. Si extraneus heres eſt inſtitutus, & is pretio repudiationis fortè accepto hereditatem in fraudem legatariorum, inque gratiam heredum legitimorum repudiat: ſi enim in hunc finem eum pecuniam accepiſſe conſtat, hereditas ad legitimos heredes tranſit cum onere legatorum. *arg. l.* 2. §. *ult. π. de Suis & legit. hered.* IV. Si teſtator legatum vel fideicommiſſum à legitimis heredibus repetierit, veluti *in l.* 88. *§.* 9. *π. de Legat.* 2. ubi teſtator, ſi neque filia, quam heredem inſtituerat, neque nepos, quem ei ſubſtituerat, heredes exſtiterint, voluit certam fundi partem ad libertos pertinere: ſi igitur neque filia neque nepos heredes fiant, bona inteſtati pertinent ad pronepotem, & tamen reſpondet *JCtus Scævola* libertis fundi fideicommiſſum ab inteſtato à legitimo herede, id eſt, pronepote deberi propter verba teſtatoris, qui dixerat ſe velle, ut tunc, quando teſtamentarii heredes deficerent, fundi illius pars ad libertos pertineret.

Theſ. X.

Cæterum legatarii & fideicommisſarii ſingulares heredem ad adeundam hereditatem cogere nequeunt, ſecus eſt quod ad fideicommisſarios univerſales, illi enim cogere posſunt heredem ut adeat atque reſtituat hereditatem. §. 7. *Inſt. de Fideic. hered.* Ratio differentiæ hæc esſe videtur, quia legatarii & fideicommisſarii ſingulares tantum titulo lucrativo rem ſine onere conſequuntur. Secus eſt in fideicommisſariis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

univerſalibus, qui loco heredum ſunt, &, hereditate ſibi reſtitutâ, ſuccedunt in omnia onera hereditaria, ita ut nullum nec damnum nec lucrum apud heredem, qui coactus reſtituit hereditatem, remaneat. *d.* §. 7. Sed ſunt, qui putant jure novo legatarios, ſi heres nolit, adire poſſe propriò marte, idque probare conantur *ex Nov.* 1. *Cap.* 1. §. 1. *&* 4. Sed reſpondendum eſt, ibi legatariis quaſi aditionem concedi, ſi videlicet heres ſcriptus jam adierit hereditatem ac legata intra annum non ſolverit: non enim putandum eſt, totum juris articulum de legatis, repudiatâ hereditate, intercidentibus, *hâc Novellâ* eſſe abrogatum.

Theſ. XI.

Quod jam porrò attinet ad deductionem quartæ ex lege Falcidiâ, antequam illa exerceatur, detrahi debet quicquid extra bonorum quantitatem eſt. *§. ult. Inſt. h. t.* Ex. Gr. ſi pater familias, qui tantum quadringentorum ſolidorum patrimonium habet, ſexcentos legaverit, tunc primò removendi ſunt ducenti ſolidi, & deindè reliquorum quadringentorum quartam heres ex lege Falcidia retinebit, id eſt, centum, & legatarii habebunt trecentos. Secundò deducitur omne æs alienum. *d.* §. *ult.* An ergo etiam id, quod ipſis heredibus à defuncto tempore mortis debebatur, deducendum eſt? ita videtur per *l.* 87. §. 2. *D. h. t. l. 6. C. eod.* bona enim ea demum intelliguntur, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. *l.* 39. §. 1. *d. V. S.* licet alioqui aditione hereditatis confundatur actio, ita ut creditor heres debitori exiſtens jus petendi crediti amittat. *l.* 75. *d. Solut.* hoc inquam non obſtante nihilominus deduci poſſe placuit *d. l. 6.* & ratio hæc eſſe videtur, quoniam in ratione legis Falcidiæ, ſi de æſtimatione patrimonii agatur, tempus mortis ſpectari debet, quo tempore nulla adhuc eſt actionum confuſio: hodiè he-

res,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

res, qui inventarium fecit, ſimilem cum aliis creditoribus per omnia habet fortunam, ita ut actiones ne aditâ quidem hereditate confundantur. *l. ult.* §. 9. *C. de Jur. delib.* hæc ita niſi debitor creditorem ſub hac conditione heredem inſtituerit, ne creditum ſuum in ratione legis falcidiæ ponenda legatariis reputaret; tunc enim heres iſte ſive creditor, ſi æs alienum prius deducere velit, exceptione doli mali removebitur, tanquam qui contrà expreſſam defuncti voluntatem venire velit. *l. 12. D. h. t.* Tertio deducitur quicquid in funus defuncti honeſtè impenſum eſt, quod etiam omne creditum ſolet præcedere, cum bona ſolvendo non ſunt. *l. penult. π. de Relig.* Sed hic jam quæri poteſt, an etiam id, quod monumenti exſtruendi cauſa conſumptum eſt, deduci debeat? & *Marcellus* reſpondet non eſſe deducendum, & addit diverſam eſſe cauſam ejus, quod in exſtructionem monumenti erogatum eſt: nec enim ita monumenti ædificationem neceſſariam eſſe, ut eſt funus ac ſepultura: idcirco eum, cui pecunia ad faciendum monumentum legata eſt, Falcidiam paſſurum, nec amplius ei concedendum erit, quam quod ad ſpeciem modicam monumenti ſufficiat. *l. 1. §. ult. & l. 2. D. h. t.* Quarto detrahuntur pretia ſervorum manumiſſorum, hæc enim ut æs alienum deducenda eſſe placet, idque ſine diſcrimine ſive proprium ſive alienum ſervum rogatus ſit manumittere heres. *l. 36.* §. 2. *l. 37.* §. 1. *D. h. t.* Quinto detrahitur quicquid ab herede adeundæ hereditatis cauſa erogatum eſt, ut ſunt impenſa, quæ in teſtamenti inſinuationem, vel in inventarii confectionem vel in alias neceſſarias cauſas hereditatis approbaverit ſeſe perſolviſſe. *l. ult.* §. 9. *C. de Jur. delib.* Denique ſexto etiam id deducitur, quicquid explicandarum venditionnm cauſa impenſum fuit. *l. 72. D. h. t.*

Theſ. XII.

His itaque deductis & aliis, quæ ad æs alienum ſpectant, tum quantitas bonorum cum legatis conferenda eſt, ut apparere queat, utrum quarta heredi ſit ſalva nec ne, quod ſi non fuerit ſalva, tum tantum ex ſingulis legatis deduci debet, quantum videlicet à quartâ deficit: itaque ſi fingamus, *inquit Juſtinianus*, quadringentos aureos legatos eſſe, & patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum eſſe: tum quarta pars legatariis ſingulis debet detrahi: quod ſi trecenti quinquaginta legati fuerint, octava pars detrahi debet, altera enim octava heredi eſt ſalva, & ita conſequenter plus minuſve detrahi debet, quatenus heredi plus minuſve à quarta deficit. §. *ult. Inſt. h. t. l.* 73. §. *ult. D. eod.* Sed quæritur, utrum quarta hereditatis an bonorum hic intelligi debeat? Plerique enim quartam bonorum intelligunt, eo quod bona judicentur ea, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. *l.* 39. §. 1. *D. V. S.* non autem hereditatis, quoniam illa commoda & incommoda complectitur. Alii è contra quartam hereditatis non bonorum intelligunt: Ego vero parum aut nihil intereſſe puto, utrum quis bonorum aut hereditatis quartam intelligat: Nam jure hereditario quarta detrahitur ut eſt in *l.* 74. *D. h. t.* & iſta bona, quæ deductis impenſis ſuperſunt, etiam ad hereditatem pertinent, cum deductio æris alieni non faciat ea, quæ ſuperſunt, minus ſpectare ad hereditatem, nec ſolutio æris alieni faciat deſinere heredem eſſe.

Theſ. XIII.

In quartam autem legis Falcidiæ ea imputantur tantummodo, quæ heres hereditario jure, inſtitutioniſve titulo à teſtatore habet, non etiam, quæ legati, fideicommiſſi aut ſimili jure capit. *l.* 74. *D. h. t.* neque etiam quæ implendæ conditio-

ditionis cauſa relicta ſunt, veluti ſi teſtator alicui prædium ſub hac conditione legat, *ſi quinquaginta heredi dederit:* legatarius igitur, ut prædium illud conſequatur, heredi quinquaginta dat, tum hæc quinquaginta heredi in quartam non imputantur. *l. 91. D. h. t.* ſed hæc regula patitur exceptionem, videlicet ſi id, quod in conditione eſt, debeatur, imo licet ſaltem naturaliter debitum fuerit. Ex. Gr. Pupillo, cui ſine tutoris auctoritate decem mutuo data ſunt, à teſtatore creditore legatum eſt relictum ſub hac conditione, *ſi decem, quæ accepit, heredi reddiderit:* pupillus ſi dederit, heres ea imputabit in quartam. *l. 21. pr. D. h. t.* ratio eſt in *l. 1. §. 17. D. eod.* quia ſcilicet heres ea jure hereditario capit: id quoque, quod heres ab eodem, cui legatum præſtaturus eſt, ex teſtamento petit, in quartam imputatur, nec falcidiæ beneficio uti poteſt, ſi id, quod ab illo ex voluntate teſtatoris percepturus eſt, ſuppleat, quod deeſt quartæ *l. 22. pr. D. h. t.*

Theſ. XIV.

Legata porro, ſi teſtator dodrantem in legando exceſſerit pro rata portione per hanc legem ipſo jure minuuntur. *l. 73. §. ult. D. h. t.* ita ut de ſingulis rebus legatis quarta deduci debeat *l. 49. D. h. t.* Scilicet hæc deminutio locum habet in pecuniis legatis, in illis enim ratio admittit deminutionem fieri: non æque in corporibus, quia illa ipſo jure non minuuntur, niſi fuerint æſtimata. *l. 5. pr. π. de Impen. in rem dot. fact.* In annuo legato vel uſufructu legato quomodo res expediri debeat videamus, & quidem quatuor traduntur deducendi quartam modi, quorum primus eſt in *l. 1. §. 9. D. h. t.* Videlicet ut quarta pars ſingulis annis ex uſufructu ab herede retineatur. Secundus modus proponitur in *l. 47. pr. D. h. t.* ubi ait *Ulpianus*, ſi in annos ſingulos legatum fuerit relictum, tunc quamdiu Falcidia nondum locum habet, integras penſiones annuas eſſe præſtandas, ſed ſi annus venerit, quo fit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

ut contra legem Falcidiam ultra dodrantem aliquid debeatur, eveniet *inquit*, ut retro omnia legata ſingulorum annorum imminuantur: eum in finem heres cautionem exigere poteſt à legatario, *Quanto amplius accepit, reddi. l.* 1. §. 16. *D. h. t.* Tertium habemus in *lege* 55. *D. h. t.* Nempè ut annuum legatum æſtimetur, quanti venire id poteſt, & tunc ex eo pars quarta ab herede detrahatur. Denique quartus modus eſt in *l.* 68. *D. h. t.* ubi, quia morte, quæ eſt *ultima linea rerum*, annuum & uſusfructus legatum exſtinguitur, computatio redituum tot annorum fit, quot legatarius victurus præſumitur, atque ex illis reditibus tum quartam ſibi retinet heres: nunquam amplius quam triginta annorum computatio fieri debet. *d. l.* 68. Si igitur alicui, qui nondum eſt triginta annorum, decem in annos ſingulos legata fuerint, tunc illa decem tricies multiplicabuntur fietque ſors trecentorum, de quibus heres quartam, id eſt, ſeptuaginta quinque ſibi deducit: Sed hujus legis computatio moribus hodiernis non obſervatur, ut *Groenewegius de LL. abrog. h. t. D. teſtatur.* Quod ſi uſuſfructus reip: legatus fuerit, quod ad legem falcidiam computatio fit triginta annorum: *Ex. Gr.* Fundi uſusfructus eſt relictus, qui quotannis valet viginti aureis: tunc aureis illis tricies multiplicatis fit ſors ſexcentorum aureorum, ex quibus tunc heres quartam, *id eſt*, centum & quinquaginta aureos ſibi retinet, *d. l.* 68. Sed ſi in annos ſingulos reipublicæ legatum ſit relictum, & de lege Falcidia quæratur, tantum videtur legatum, quantum ſufficiat ſorti ad uſuras trientes ejus ſummæ, quæ legata eſt, colligendas: V. C. ut, ſi duodecim floreni in annos ſingulos Reipubl. legati nomine relinquantur, perinde ſit, ac ſi trecenti relicti fuiſſent, qui tum pro ſorte habentur, & de quibus heres tum ſtatim quartam, id eſt, ſeptuaginta quinque detrahit, atque ita computatio fieri debet, ut ſemper quatuor reddant centum. *l.* 3. §. *ult. D. h. t. Fach. lib.* 5. *contr. cap.* 14.

Theſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Theſ. XV.

Si omnia, quæ ad hanc materiam pertinent, explicaremus, non pauca adhuc forent dicenda, quæ vel prætermiſimus vel ſequi deberent, ſed quia brevitati operam dare ſtudemus, idcirco ad modos, quibus lex Falcidia ceſſat, pergemus. Hi modi aut teſtatoris aut heredis aut rei legatæ reſpectu conſiderari poſſunt. Primò igitur reſpectu teſtatoris ceſſat lex falcidia, ſi is miles ſit. *l.* 7. *C. h. t. l.* 12. *C. de Teſtam. milit.* quod tamen ad veterani teſtamentum non extenditur. *l.* 40. *D. h. t.* Secundò, ſi teſtator eum, cui jam quartam dederat, heredem inſtituerit. *l.* 56. §. *ult. D. h. t.* ratio eſt in textu, quia ſcilicet vivus heredi proſpicere videtur. Tertiò ceſſat, ſi teſtator, non ignarus quis ſit modus ſui patrimonii detractionem quartæ prohibuerit. *Auth. Sed cum teſtator. C. h. t.* Jure veteri teſtator nullo modo detractionem legis falcidiæ vetare poterat. *l.* 11. *C. h. t.* ratio eſt in *l.* 55. *π. de Legat.* 1. quoniam nemo poteſt in ſuo teſtamento cavere ne leges in ſuo teſtamento locum habeant, & quoniam nemini juri publico derogare permisſum eſt, *ut ajunt Imperatores Diocletianus & Maximianus in l.* 13. *C. de Teſtam.* Sed an non jure novo tacita prohibitio teſtatoris ſufficit, ſi dicat ſe velle ut integra legata præſtentur? Reſponſio eſt non ſufficere, quia verba *Authenticæ Sed cum teſtator. C. h. t. & Nov.* 1. *cap.* 2. *in fin.* expresſam quartæ prohibitionem requirunt. *Perez. ad h. t. C. n.* 13. *Fach. lib.* 5. *contr. cap.* 13.

Theſ. XVI.

Reſpectu heredis cesſat lex falcidia, primo ſi heres hoc egerit, ut legatum vel fideicommiſſum intercideret, atque ita ſe per crimen legis falcidiæ beneficio indignum reddiderit. *l.* 59. *D. h. t.* Secundo cesſat, ſi heres non capaci reſtituere fidem accommodavit, ille enim tum quartam vindicare ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

quit, ſed ex reſcripto D. Pii ad fiſcum pertinet. *l.* 59. *§.* 1. *D. h. t.* niſi major modus inſtitutionis quam fraudis fuerit, tunc enim qui tacitam fidem contra leges accommodavit, quod ad falcidiam attinet de ſuperfluo quartam retinere poteſt. *l.* 11. *D. de His quæ ut indign.* Tertiò ſi heres quædam legata non ignorans vires hereditarias quibusdam legatariis in ſolidum ſolverit, ita ut ne ex reliquis quidem quæ ſuperſunt quartam retinere poſſit, niſi inopinatum quid emergat. *Auth. Sed cum teſtator. C. h. t. Nov.* 1. *Cap.* 3. verum ſi heres probare poſſit, ſe per errorem facti ſolviſſe legata, tum, quia probabilis hic error eſt, repetitio ipſi conceſſa eſt. *l.* 9. *C. h. t.* non etiam ſi ſciens ſe quartam retinere poſſe, ſolida legata ſolverit: quod ſi heredi ſubſtantiam hereditatis ad huc ignoranti ultrò jurando, vel quadam aliâ fallaciâ legatarii perſuaſerint, tanquam ſatis abundè ad ſolida legata ſolvenda ſufficiat hereditas, atque eo modo ſolida legata fuerint conſecuti, tunc heres de dolo actionem habet. *l.* 23. *D. de Dol. mal.* huc etiam facit *l.* 47. *D. R. J.* Quartò ſi heres inventarium facere neglexerit. *l. ult.* §. *penult. C. de Jur. delib. Nov.* 1. *Cap.* 2. §. 2.

Theſ. XVII.

Denique reſpectu rei legatæ ceſſat lex falcidia primò in rebus hereditati ſubtractis. *l.* 24. *pr. D. h. t.* quarum quarta ad fiſcum pertinet. *l.* 6. *π. de His quæ ut indign.* Secundò in legitima *l.* 35. *C. de Inoff. teſtam.* Tertiò in legatis ab ipſis legatariis relictis *l.* 47. §. 1. *D. h. t.* Quartò in rebus alienari prohibitis *Auth. Sed & ea. C. h. t.* Quintò in dote relegata *l.* 57. *D. h. t.* ratio eſt, quia rem ſuam recipere videtur mulier. *l.* 81. §. 1. *D. h. t.* niſi quatenus aliquid commodi in ea eſt ſitum *l.* 2. *π. de Dot. releg.* Sextò in legato libertatis *l.* 33. *D. h. t.* Septimò in legatis ad pias cauſas relictis. *Auth. Similiter. C. h. t.* Denique Octavò adhuc ceſſare dicitur lex Falcidia in inſtru-

mentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

mentis prædiorum domino relictis. *l.* 15. *C. h. t.* Hi modi maxima ex parte his verſiculis, qui apud Böckelmannum *h. t. Inſt.* exſtant, comprehenduntur:

Falcidiam ceſſare facit pars debita natis,
Dos, miles, vetitum, libertas, ſponte ſolutum,
Res vetitæ vendi, pietas, & chartula, crimen,
His heres, ſi non facit inventaria, ſubſit.

COROLLARIA.

I.

Filiusfamilias ne quidem de peculio adventitio pleno teſtamentum facere poteſt.

II.

Jus accreſcendi non pertinet ad emptorem hereditatis.

III.

Nemini rem ſuam rapere vel propriâ auctoritate occupare permiſſum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

IV.

Legis 101. D. d. Verb. Obligat. *lectionem facilè defendi poſſe videtur.*

V.

Condictio furtiva datur adverſus heredes furis in ſolidum.

VI.

Mulierem etiam extra judicium SCto Vellejano renunciare poſſe non dubitamus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 262